



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Benedictus Redivivus Hoc est: Benedictinij Ordinis  
Vetustißimi Amplißimique, Nostra, ac supera ætate  
Jmmarcescibilis Vigor, ac Viror**

**Bucelin, Gabriel**

**[Veldkirch], Anno Christi. M.DC.LXXIX.**

Iesu Christi Annus. M.DC.XXXVII. Sancti Patris Benedicti. M.C.LVII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38498**

terris etiamnum agens, in eadem lata erumperet: Ecce, quod concupivi jam video; quod speravi jam teneo: dum in terris posita, Sponso suo etiam corporaliter, ex singulari Superiorum licentia fruere, sacra quotidie Synaxi refecta, & inexplicabili abblandi-entis Sponsi solatio mirificè recreata. *Inde, inquit vitæ scriptor, raris in Vir- tutum Lyco incrementis ac cumulis in dies augebatur, & spiritualibus decem dierum (ex more Congregationis) Exercitijs, intentissima, vix è cella nisi ad Calam e- grediebatur, ut unius finis solitudinis, al- terius initium esset: Obedientia nihilomi- nus, ita addicta, ut nihil inconsulta Super- rigere, imò minutissima quoque cù impe- rante faceret, quasi absque omni merito factum esset, quidquid obedientia non dictasset, & imperasset. Nec frit- stra à Sanctissima Trinitate cognomen habuit, cujus consideratione & vene- ratione ut Cherubim & Seraphim ex- arsit. Jesu autem suo, altera sanè & Rediviva Catharina Alexandrina fu- it, cui nec Martyrium in tanto tamque ultroneo vitæ rigore defuit, etsi amor Numinis acerba omnia quàm dulcif- sima redderet, & nihil gratius Sponsæ, quàm Sponsi amore omnia dura per- peti, esset. Ita denique post multa & admiranda Virtutum exempla corpo- re mortua fuit, animo priusquam eti- am corporis solueretur ergastulo, pri- dem inter Superos comorante. Ex Vita, & R. P. Amando Tribout, &c.*

Obedientia  
Virtus.

Alteri Ca-  
tharina  
Alexan-  
drina  
Martyr.

Moritur  
Philippus  
Caverellus  
abb. S. Ve-  
dasti.

Extinguitur hoc anno magnum sanè Ordinis & Inferioris Germaniæ sy- dus Reverendissimus & Illustrissimus Dominus Philippus Caverellus, cele- berrimi & potentissimi Belgij Archi- sterij apud Atrebatas, dignissimus & meritissimus Antistes. Præsul verè exi- mius & æterna dignissimus memoria, singularis eruditorum Mecænas, bonarumque litterarum & artium cultor præcipuus. Hic insigne Collegium Vedastinum. Duaci construxit, ubi A- scetæ nostri Vedastini, ab ipse Uni- versitatis Fundatione, ad hanc usque horam, Philosophiam, Theologiam, cæterasque Liberales Artes profiten- tur. Sed & Monachis Anglis in eadem Urbe, memorabili sanè exemplo & merito insigne Monasterium condidit & dotavit. Benedictinis similiter fan- ctimonialibus, novæ Reformationis

ibidem ædes & Ecclesiam exstruxit, eaf- demque summa cum gloria Ordinis, & exempli utilitate, Gerardimontibus, vel alibi etiam promovit ac fovit; sed & alios Ordines similibus liberalitate & beneficijs æternum demeruit; ut tan- quam Pater & Fundator ab ipsidem re- cognoscere. Fuit à Principibus Bel- gij summo in honore habitus, & ad summi momenti negotia electus & de- stinatus, ad pacem etiam cum Hollan- dis ineundam legatus, Bibliothecam sui Canobij exquisitissimorum scrip- torum & librorum copia splendidif- simam reddidit; Templi ornatum pro Numinis & loci dignitate insigniter. promovit, integerrimæ vir vitæ, om- ni ornatu Virtutum cultissimus, & pro- eximia humanitate, omnibus amandus & venerandus, ac proinde summo cum omnium luctu & comploratione hoc ipso anno extinctus; paulo ante mor- tem periculi commendandi Commen- datarijs Monasterij admonitus, & ip- sum præcivisse & prædixisse, atque multa alia toti Provinciæ impenden- tia mala prænunciare auditus est. Suc- cessit paulo post Cardinalis Aquensis, & tota Artesiæ Provincia redacta est in Gallorum potestatem. Ex Monument. ejusdem Canobij.

Insignia  
santi Pra-  
sulis moni-  
menta

Ipsò anno moritur Rev. mo Placidus de Arestj S. Juliani de Samos absolu- tissimus Monachus, inde pro meritis Episcopus de Parogouij in Indijs, ubi sancto sine in summa paupertate deceffit.

IESU CHRISTI ANNUS. M. DC. XXXVII.  
Sancti Patris Benedicti. M. C. LVII.

Iterum magnum cœlis sydus hoc Anno infert florentissimum Sancto- rum copiâ Galliarum Regnum, mag- nam Regiæ familiæ Tutelarem, con- sanguineam Regum maximorum. Hæc fuit Maria de Estoueville Abba- tissa Hederensis celebris in agro Parisi- ensi Monasterij, quæ alto procerum or- ta stemmate, & Regiam stirpem san- guine atinens, calcato sæculi à teneris unguiculis fastu ac luxu, sese hostiam incruentam Numini summa animi de- votione consecravit. Adultior cum floreret manifestis Gratiæ desuper da- tæ donis, ad regimen illius Canobij magno suo dolore evecta, nihil prius habuit, quàm solida Reformationis ja- cere fundamenta, & disciplinæ rigi- dioris

Ven. Ma-  
ria de  
Estouevil-  
le.

Reforma-  
trix meri-  
tissima.

dioris sibi creditis commendare utilitatem, rectamque ad perfectionem semitam non tam verbo quam exemplo demonstrare, ipsa purissima castimonia, charitatis ferventissima, Obedientiae perfectissima, humilitatis & abnegationis absolutissima typus & Regula omnibus facta: quae Dominationis impariens, susceptum Religionis Imperium toties lata, ex more Reformationis, deposuit, quoties in vita recepit. Demum post adductas commiffas sibi Virgines ad strictae Votorum observantiae, rigidius institutum atque exercitium, moribus non solummodo ad praescripta Sanctae Regulae ex amulsi compositis, sed erectis etiam murorum molibus, amplificata atque exornata nobiliori ex parte Ecclesia, constructis, Claustro, Capitulo & caeteris Regularibus locis five aedificijs, sacra plurimum cumulata suppellectili, ipsa omni decore ornata pieratis, Christi conspectus beatissimi cupida, animam tot foeta meritis, e cella (quam modicam semper omnique ornatu vacuum studiosissime coluit & incoluit) ad Coelum Regnumque gloriae, quod terreno Principatu ab initio praeulerat, felix & letabunda emisit, quarto Iduum Januarij, sepulta in Choro Ecclesiae, lachrymis filiarum spiritualium ferè inundata, quibus perpetuum sui desiderium, & constantem suae Sanctitatis reliquit opinionem. *Ex Menologio Gallico, & vita ejusdem Msta.*

*Felix & letabunda moritur.*

Hispanias illustrat mirifice notam, eruditionis fama, clarissimus, quam sanctitatis opinione & merito- rum magnitudine spectatissimus, Illustrissimus & Reverendissimus Dominus P. F. Maurus de Villarocel. Hic ex Monacho Sancti Salvatoris de Loran- zana in Regno Galliae, pro eximia Virtutum omnium connexionione Generalis Ordinis Benedictini per Hispanias constituutus magno animi ardore, & disciplinae Regularis Zelo, sese coelo non minus quam terris commen- dans, ad varias deinceps dignitates pro meritis experitus, Abbas Sancti Vincentij Salmanticensis creatus, exinde ad Episcopatum Jacensem, mox ad Oscensem in Regno Aragoniae prom- otus est, Pontifex verè suis oviculis speculum, exemplar & Regula omnis perfectionis factus, ut merito supra-

*Fuit Episcopus Oscensis & Jacensis.*

*Maurus de Villarocel Generalis.*

candelabrum positus, nemini non admirationi esset, & venerationi. Est autem Osca Ilergetum, vulgo Huesca, insigni Academia celebris civitas, si quae ulla alia Hispaniarum, à studijs litterarum antiquissimo jure longè spectatissima & famosissima, in qua nimirum tot ante saecula Sertorius, referente Plutarcho, Academiam excitavit, ut Hispaniam illic juventutem bonis litteris excolendam curaret: ita ut merito tanto post, Urbi illi tantus eruditione Pontifex, studiose juventuti non minus ab litteris, quam Vitae perfectione commendatus pro exemplari exhiberetur. Ibi, inquit P. F. Franciscus de Argaer, relinquens notae sanctitatis vestigia, summo in honore habetur.

Claret hoc ipso tempore in Monasterio Hortensi in finibus Castellae sanctae memoriae Rodericus à Cruce sacrae Congregationis nostrae Cisterciensis Monachus, qui cum annos plus minus quinquaginta temporalium administrationi praefectus, non minus ideo inter externas curas (quantum ex actibus ejus omnibus innotuerat) interius Deo sibi vacaret, missione tandem impetrata sub finem vitae, & hac sanctissime exacta longum iter felici explevit exitu. Cujus corpus delatum ad Capitulum, ut ibidem inter preces Fratrum sepulturam praestolaretur, inutilata & mirifica fragrantia domum replevit, quae funus mox sequuta, in Capitulo etiam per triduum perseveravit. *Ex Angelo Manrique, &c.*

Mortalitatem hoc anno exiit Reverendissimus Dominus Antonius Winge Abbas Illustrissimi Caenobij Latiensis in Germania inferiore, alter Ludovicus Blofius, sive redivivus in utroque Benedictus, *vir omnium opinione*, uti Catalogus Abbatum habet, *sanctissimus*. Is ex Canonico Cathedralis Ecclesiae Cameracensis, factus Monachus Latiensis, verè nil aliud in cucullo se quassisse quam purè DEUM & placentissimam DEO summam vitae perfectionem, in omni actione ostendit & comprobavit, ob hoc ipsum caeteris in speculum vitae propositus, & ad Abbatialem dignitatem evehctus, in qua ita se habuit, ut omnibus Venerabilis haberetur. Fuit amator sanctarum Reliquiarum singularis, quas undecunque potuit in thesaurum Monasterij colle-

*Dignus tanta Urbe & sede Episcopus.*

*Rodericus à Cruce.*

*Antonius Winge Abbas Latiensis.*

git, & splendide excoluit, non tam Sanctorum vite lectione, quam imitatione eisdem colere aggressus, quamvis & lectionem supra modum Religiosis utilem commendaret, & Reverendis Patribus Rosweydo & Bolando Author. præcipuus & Adjutor præclari illius Operis, *Vite Sanctorum*, esset. Fuit à Numine igne tribulationum uti aurum excoctus & probatus, ita ut ob bellicos motus & incommoda plurima, tantus vir exul mori cogeretur; Montibus Hannoniæ, quo confugerat, ibidem sanctissime in Domino quiescens, & apud Patres Societatis, quos intimè coluerat in vita & foverat, sepultus.

*Uti aurum purgatus obiit.*

*Petrus Trigautius Abbas Ursidungensis.*

Antonij non multum dissimilis, hoc ipso quoque anno è vivis excessit Reverendissimus Dominus Petrus Trigautius Ursidungensis in Hannonia Abbas, rigoris & disciplinæ Monasticæ promotor strenuus, omni Virtutum genere, sed demissione inprimis animi cultissimus, quem à privato Religioso minime discerneres, sine famulo plerumque non domi solum, sed & in itinere & urbibus incedens. In egenos largissimus, in omnes benevolus, ubi vis singulare exemplar summæ integritatis fuit. Basilicam Cænobij pretiosissimis tapetibus, vitam S. Gisleni Patroni referentibus, aliisque spectatissimis ornamentis excoluit. Sed & statuam S. Sulpitij argenteam confici curavit, quin & Bibliothecam splendidam condidit, magnoque insignium librorum thesauro auxit, magno sui apud summos infimosque relicto desiderio ex hac vita decedens. *Ex monumentis Ursidung.*

*Obijt Andreas Abbas Hirsaugensis.*

Supremus hic idem annus fuit Reverendissimo Domino Andrea Geist à Wildeck Sanctissimi illius & Sanctorum feracissimi Wirttenbergiæ Archisterij Hirsaugensis dignissimo Abbati, vetustissimis loci illius incolis & Antecessoribus vitam quam simillimo. Is in Imperiali Vinearum, vulgo Weingarten, Cænobio tenera in ætate Monasticen professus, sanctioris jam tunc vitæ specimina egregia edidit, puerulus etiamnum *Sanctulus & Sanctivus* appellatus. Fuit in omni vita nihil in eo reprehensibile, deprehensum, cum, speculum puritatis, disciplinæ, omnisque pietatis omnibus esset, inque omnibus mortifica-

*Innocentia vite ejus.*

tiopi studeret, devotioni addictissimus. Prior postea sui Monasterij designatus incredibile omnino est, quantum in arctiore, non solum in suum, sed alia quoque Monasteria, inducenda reformatione, & disciplinâ dies noctesque laboraverit, primævum quantum in ipso steterat, fervorem Ordinis rediturus. Inde restitutis decreto Ferdinandi II. gloriosæ memoriæ Wirttenbergiæ Monasterijs, Hirsaugiæ Abbas electus, sanctissimi & felicissimi loci expendens dignitatem, omnium quasi, illic quiescentium, in se Spiritum resuscitavit, tantumque ac talem sese vitæ exemplo præbuit, ut ipsi quoque A catholici, quin & ex ipsis juratissimi Catholicorum atque inprimis Monachorum hostes, Prævalem tantum solidè bonum, virum verè Religiosum, imò incomparabilem, multi etiam sanctum deprædicarent.

*Prior Weingartensis.*

Mortuus immaturè est, cælo pridem maturus, & sanctis laboribus immortuus, cum pro sacrorum Ordinum bono, nullis parceret sumptibus, nullis laboribus, sed dies noctesque in excutiendis è pulvere Monasteriorum monumentis & donationum instrumentis tamdiu neglectis, inexplicabili patientia occupatissimus, ex ipso pulvere & fœtore gravi correptus morbo, eodem paulo post consumeretur, singulari procul dubio Numinis providentia, ne tantus Præsul desolationem sui & tot aliorum Cænobiorum intueretur, & sanctis Hirsaugiensibus illud sibi à Numine depositum, ut sanctus sanctis jungeretur, iisdem ibidem conquiesceret, & conspultus, inde quoque cum iisdem in die regenerationis gloriosus resurgeret. Obijt verè Pauperum prodigiosus Pater die vigesimo octavo Aprilis, qua ipsa sanctissimæ memoriæ Joannes Barrerius Fuliensum nostrorum Institutor decessit, à cujus Reformandi Ordinis Spiritu, haud multum abfuisse, si per ipsum licuisset, opinamur; relicto non paucis sui sacri fervoris in scripto monumentis. *Ex oculatis test. & propria scientia & cognitione.*

*Maturus Cælo suis præmaturè moritur.*

*Novissimum Hirsaugiæ decessit.*

Roma eodem anno, non sine magna sanctitatis opinione decedit Reverendissimus Dominus Maurus Cambi Januensis, qui Monachus effectus in Monasterio celeberrimo Beatissimæ Pauli.

*Ven. Maurus Abb. S. Pauli.*

Vir.

Virginis Montis Serrati in Catalaunia, ad placita tantæ Reginae formatus, inde patriæ suæ redditus, Abbatem S. Catharinæ Januensis strenue egit, demum Abbas S. Pauli extra muros Urbis Romanae renunciatus, in signe sanctioris vitæ exemplum Romanis prætulit, & ibidem sancto fine die sexta Augusti decessit. *Ex Cornelio Margarino Abbate B. M. V. de Annona, S. Pauli Professo.*

IESU CHRISTI ANNUS. M. DC. XXXVIII.  
Sancti Patris Benedicti. M.C. LVIII.

*Urbis Rom, decu*  
*Ven. Margarita de Kilkaldi de morte revelatio.*  
*Coadiutricem sibi adjungit.*  
*Francisca Renata Ducissa Lothar. Coadiutrix.*  
*S. Mauri Cong. slos. &c.*

ILLustrissima & Reverendissima sanctæ memoriæ Margaritæ de Kilkaldi Sancti Petri Remensis meritissima Antistitæ sub hoc ipsam tempus revelatur Divinitus suæ ad superos vocationis imminens paulo post terminus, & videtur ipsa quæ pro se exoraverat, & instituerat Monasterio præesse, Augustissima Abbatisa Deipara ipsam præmonuisse, & quod vero simile, etiam de ea quæ dignissime succederet, edocuisse. Egit proin omnibus modis, ut se se onere exoneraret, sibi que etiamnum superstiti Coadiutricem adjungeret. Hæc fuit serenissima Francisca Renata Lotharingæ Princeps Caroli Lotharingi, Ducis Guisæ, & Catharinæ Ducissæ de Joyeuse lectissima filia sanctissima memoriæ Renatæ hujus nominis secundæ, ejusdem S. Petri Remensis Antistitæ neptis, sexto statim à Nativitate mensis S. Petro in eodem Monasterio oblata, atque sinu amitæ tam Deo charæ excepta, & sanctissime educata, ac dein Ordinem professâ, ut velut de S. Editha legitur, sæculum potius ignorasse, quàm reliquisse videretur. Et dignissima sane exitit, quæ Margaritæ & adjungeretur & succederet, utpote in qua Renatæ utriusque resuscitatus Spiritus esset, & Redivivus BENEDICTUS se proderet, talis ac tanta Antistita, quæ Gallias, Ordinem ac sæculum suum insigniter illustraret. *Ex R. P. Amando Tribout Priore Dervenfi.*

Crescunt admirandis successibus, fructu mirifico, Sanctissima Ordinis Congregationes & Reformationes, sancti Mauri per Gallias, & Sanctorum Vitori atque Hydulphi per Burgundiam utramque atque Lotharingiam, ita, ut non inter Religiosos solummodo, sed inter intuentes omnes atque audientes,

miri consequerentur. Divinæ gratiæ effectus. Et verè Redivivus in omnibus BENEDICTUS ac primævus restitutus BENEDICTI Patris Spiritus videbatur, cum in tanta multitudine Religiosorum, in tanta diversitate ingeniorum adeo concors, imo una quasi omnium mens & anima, ad unum idemque propositum respiceret, ad unum eundemque scopum collimaret, ad amullim Regulæ se conformaret; tantâ paulo post eorundem, apud sæculares opinionem invalescente, ut tanquam cælo delapsos ad salutem mortalium Angelos revererentur, nec minus solo contuitu & exemplis quàm verbo, ut sacri vocamus compungerentur. Inde magni ad eosdem patres mortalium pro consilio & solatio sacro concursus; est nunquam deessent, qui in sanctu Cacodæmonum, eorundem patientiam exercebant, crescentibus ex hoc ipso eorundem meritis, & accensis ferventius Virtutum studijs, ita ut ipsi se ipsos mirarentur, & alter in altero operantem DEI manum agnoscentes sancta sese mutuo charitate arctè stringerent & amplecterentur, inque hac conversationis dulcedine, etiam in extrema paupertate abundare omnibus bonis viderentur, & in summo vitæ rigore nihil rigoris adverterent, sæpè sibi visi delicatus vivere, quàm perfectioris vitæ professio admitteret, cum tamen, modico & paupere contenti victu, vix famem exsatiarent, nedum delicatè pascerentur, mel & saccarum cibus miscere eo, cujus amore ebrii, nil nisi ipsum quærerent & saperent, ipsoque potiti & pleni, ipsius dulcedinem, omnia aspera & amara dulcorare animadvertent & experirentur. Et revera, corpus non minus refici quàm animus desuper infusa gratia videbatur, cum delicatuli aliàs atque imbecilles firmiore deinceps valetudine redderentur, & qui natura Melancholici erant, præter naturam hilares, agiles, & amabiles omnibus evaderent, volare tunc sibi visi, qui agrè antea pedes incesserant, Numine in sanctis ejus mirabilem se ostendente. Horum successibus & generositate animati atque excitati deinceps plurimi, sese ipsis junxere & devovere, liberè & ipsi confessi, postquam se semel generosè resolvissent, ea quæ asperrima pri-